



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales**

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

7 De donatione omnium bonorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

## De donatione omnium bonorum.

## CAPVT VII.

**P**RIMO queritur, An rata & firma censeatur donatio omnium bonorum presentium & futurorum? Respondeo, Dinum, Angelum, Salicetum, Baldum, Alciatum, teste Couarruias in Rubric. de testam. par. 2. n. 6. sensisse, talem donationem iure communi valere. Altera opinio est, ratam & firmam non esse, vt colligitur ex l. stipulatio hoc modo concepta ff. de verb. oblig. etque communis opinio teste Iulio Claro, lib. 4. sentent. q. 19. vbi citat Bartolum, Alexandrum, Aretium, Decium, Abbatem, Imolam, Ripam, Lafonem, & alios: & hoc locum habet, siue per contractum, siue per testamentum, quis donet omnia bona sua presentia, & futura. Ratio legis est, quia iura cautum esse voluerunt, ne cui testandi facultas adimatur: at si quis omnia presentia, & futura donaret, nihil haberet, de quo testari posset.

Secundo queritur, An si quis omnia bona sua presentia donaret, talis donatio sit predicta lege prohibita? Respondeo, minime, quia tali donatione non sibi admittit potestatem testandi: nec enim futura bona donat, de quibus testamentum facere potest.

Quid si donet simpliciter quidem omnia bona sua, ita tamen, vt futura bona non exprimat? Talis donatio predicta lege non prohibetur, quia solum bona quae habet, donare videtur. Et est communis sententia, vt testatur Iulius Clarus, quae iam dicta. Nam in tali donatione non intelliguntur bona, nisi parata & acquisita. Idem iuris est, si quis donauerit omnia bona sua mobilia & immobilium, quia talis donatio non comprehendit bona futura, tum etiam quia non videtur se extendere ad iura & actiones, vt habet communis opinio, teste eodem Iulio Claro.

Tertio queritur, An si quis simpliciter donet omnem suam hereditatem, talis donatio praefata lege prohibeatur? Dux sunt opiniones, ait Iulius Clarus, vna est, talem donationem valere, quia solum bona presentia donata censeatur.

Altera est, illam minime valere, & esse prohibitam: quia nomine hereditatis intelliguntur bona, quae quis tempore sui obitus reliquit, ergo eo ipso comprehenduntur bona presentia, & futura: & hanc communem esse sententiam, testatur Iul. Clarus, quae 19.

Quarto queritur, An si quis faciat donationem causa mortis, suorum omnium bonorum, presentium, & futurorum, talis donatio sit superiori lege damnata? Communis est opinio, donationem valere, teste Iulio Claro: ratio est, quia eiusmodi donatio nihil impedit, quin donator possit alium heredem instituire, qui quamuis post obitum donatoris debeat pactum seruare, cum ipsa donatio sit morte confirmata, nihilominus tamen ex bonis defuncti potest portionem, quae dicitur Falcidia, detrahere, & sibi retinere.

Quinto queritur, An si donator minimum quid ex suis bonis sibi referuet, ex quo testari valeat, talis donatio prohibeatur? Responder Bartolus in l. citata stipulationem hoc modo conceptam, non esse prohibitam: quae sententia communi consensu recepta est, vt dicit Sozinus iunior, consuet. 42. n. 36. lib. 1.

Hae autem opinio locum habet in eo, qui aliquid sibi referuauit, quod saltem excedit vigesimam partem sui patrimonii, quod donauit. Ita Iul. Clarus, quae 19.

Sexto queritur, quid sit dicendum de eo, qui sibi referuauit omnium bonorum suorum usufructum, cum omnia bona sua presentia & futura donauit: haecne donatio praedicta lege tenetur? Responder Iulius Clarus, quae 19. Aut donator referuauit sibi usufructum, hoc expresso, vt de eo posset suo arbitratu in vita statuere, & talis donatio non valet, vt ait Couarruias lib. 2. varia. resolutionum, cap. 12. n. 3. quia id quod referuatur ex donatione omnium bonorum, tale esse debet, vt de eo donator testari possit: Aut do-

nator sibi referuauit simpliciter usufructum, & talis donatio praedicta lege non improbat, quia de usufructu simpliciter referuato, potest donator in morte testari.

Septimo queritur, An sit valida donatio omnium bonorum presentium, & futurorum, si sit iurando confirmata? Dux sunt opiniones, vna afferentium, eam ratam & firmam esse, quia talis donatio solo iure civili interdicitur, ergo iurandam interpositum eam ita confirmat, vt vim habeat. Hanc opinionem habent ac tuerentur Panormitanus, Couarruias, Decius, Aymo, Sozinus iunior, quos citat, & sequitur Couarruias in Rubric. de testam. n. 3.

Alter opinio est multorum begantium, talem subsistere donationem. Ita Bartol. in ea lege super allata stipulatio hoc modo concepta n. 3. & Iul. Clarus lib. 4. sentent. quae 20. tradit, hanc esse communem sententiam, quam Bartolus & alii eo argumento confirmant, quod talis donatio donatorem prius facultate testandi. Sed contra bonos mores est adimere testandi potestatem, ergo iurandam talem donationem minime confirmat: quia iurandam contra civiles leges quidem, sed tamen non contra bonos mores vim habet.

Prima sententia magis cum veritate conuenit, quia quod quis sponte sua prius se potestate testandi, contra civiles quidem, sed non contra bonos mores est, nihil enim turpitudinis habet: ergo iurandam talem donationem facit ratam & firmam.

Obiicies, Si quis testamentum condiderit & iurauit se nunquam reuocaturum iurandam, promissionem non confirmat, ergo nec donationem omnium bonorum presentium & futurorum? Respondeo, idem iuris non esse, quia testamentum sua natura & conditione est reuocabile, quamdiu testator viuit, non enim confirmatur nisi morte testatoris: quare contra naturam & substantiam testamenti est, vt reuocari non possit in vita, ac proinde iurandam adhibere contra substantiam testamenti non valet. At vero donatio omnium bonorum presentium, & futurorum, solo civili iure prohibetur, vt patet: nam talis donatio si fiat Ecclesiae, rata & firma est, vt statim dicam, ergo non est naturali iure damnata.

Octauo queritur, An donatio omnium bonorum presentium & futurorum Ecclesiae facta valeat? Valet, Bartolus in lege praedicta stipulatio n. 13. Felinus c. in presentia, n. 5. c. 6. de probat. omnibus: quam sententiam testatur esse communem Couarruias in Rubric. de testam. c. 2. n. 3. ad finem, & Iul. Clarus q. 20. Et ratio est, quia nequis donet omnia bona sua presentia & futura, lege civili cautum est: at Ecclesias ius civile non ligat, nisi quatenus iure naturalis, diuino, vel canonico munitur, & confirmatur. Accedit, quod cuique liberum est se totum Ecclesiae dicere, & addicere, ergo dubitandum non est, quin quisque possit sua omnia bona presentia & futura Ecclesiae donare.

Nono queritur, An si duo fratres sibi inuicem donauerint omnia bona presentia, & futura, talis donatio consistat? Consistit fauore agnationis, videlicet causa eam tuendi & seruandi. Communis est opinio, vt testatur Boerius de off. 355. n. 3. & Iul.

Clarus, eodem lib. 4. sententiarum, quae 20. ad finem.

